

*Atq; probæ Domina, Potuisset vivere plures
Aut annos totidem, quot modò nata fuit.
Qui numerat menses & qui prædestinat horam
Longius æterno si placuisset HERO.
Inter honoratas insignis adorea salve
Matronas felix perpetuumq; vale:
Atq; tuo exemplo nosmet valedicere mundo
(Ecquid enim in mando sani, age?) posse doce.*

Valentinus Hartung Lips. P. C.
Philos. & Medicinæ Doctor.

S Cilicet in vastum, sinuosis flexibus alveum
Exonerat fluvius, fluxerat unde, mare,
Magna parens tellus mortalis corporis in se
Exuvias rursus pulverulenta capit,
Mens animi nostri, divinæ particula auræ
Ad Dominum remeat, venerat unde prius,
Agnoscis THEMIDI Sacer, hæc, Vir, conjugæ dulci
Orbus, & à Domino quæ data, rapta putas!
Agnoscis tua quod fidissima dextra recisa,
A summo tua quod cõsta revulsa Deo!
Agnoscis quod AMOR pietasq; jugalis ab ipso
Rupta Deo, qui vos junxerat antè toro!
Rapta, at restituet; rescissaq; , rupta, revulsa,
Æternis vinclis consolidata dabit.
Nam quid vita? via est; *metam que ducit ad unam*
Mortis, ubi pietas certa brabreia capit.

*M. Christophorus Preibisius J. U. Licent. &
Philosophiæ Practicæ Professor Publ.*

Terra

